

rituum, Conringii libro de origine Germanici iuris subiuncte. Ibi enim diserte legitur de sacris siluarum, quae Nimidas vocant, de his quae faciunt super peeras, itemque de sacris Mercurii, vel Iouis, de feriis quae faciunt Ioui vel Mercurio. Cuius indiculi memini etiam mentionem inferre Virum Magnif. Henr. Muhlium in Comment. de voce Kirch. §. XIII. p. 43. Eundem praeter Conringium exhibent Stephanus Baluzius in Capitular. Tom. I. p. 149. Casp. Sagittarius in Antiquit. Gentilism. et Christianism. Thuring. lib. I. cap. III. §. 8. p. 26. seq. Illustr. Burc. Gottb. Struuius in Synagm. Hist. Germ. Diff. VI. cap. XI. p. m. 157.

§. III.

Etsi autem documenta haec minime contemnenda oculos ferire Cimbrorum itidem debuerant, parum tamen fidei Christianae tribuebant hi maiores nostri, de vanitate idolatriae suae conuicti. Etenim non solum Romanorum superstitionibus se constringendos tradebant; sed etiam legatos Christianos e numero viuentium acerbissima morte exturbabant, quod ex CRANTZIO colligas, (*) quo auctore discimus, barbaros nemini eorum spem transitionis ad Cimbros praebuisse. Quaedam autem dogmatum Christianorum vestigia remansisse, et maiores nostros sacra sua mutantes saeculo primo retinuisse, veri vtique simile est. Ex Edda enim, in qua varias Theologiae paganorum veterum in Cimbria reliquias deprehendas, intelligimus, eos coluisse OTHINVM praecipuum Deum, qui et WODAN dicitur, et tenuisse, hunc Deorum omnium parentem filium THOR genuisse, qui THOR serpentem infernum quidem vicerit, sed victor amiserit vitam. (**) Quam doctrinam procul dubio acceptam referunt veritatis caelestis propagatoribus de CHRISTO morte sua viatore tartarei draconis. Idem etiam probabiliter inferas ex ritu baptismi apud Cimbros paganos usitato. Luculentis enim testimentiis constat, illos recens natos infantes aqua adspersisse, et adspergendo nomina sua infantibus imposuisse. (***)